

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema CXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

6. Aduersarii Magnatum multi. Aduersitates multæ passim. Inobedientia subditorum. *Theurung. Mißgewechß.* &c tangit illos etiam.

7. Bella multa. Quia 8. Inuidi multi, qui vellicantiosos. Illi eadē sorte vtuntur qua cæteri.

9. Mortis pericula multa: Insidiæ, de quibus supra numero 2. Dionysius Siculus Rex, ancipitem gladium capiti imminere ait.

10. Tandem mors sceptrâ ligonibus equat. Tollit cum paupere Regem.

Stulti ergo sunt, qui sibi optant, vt sint loco Magnatû quo possint esse felices, quia quantum ad miserias humanas, illi eadē sorte vtuntur qua cæteri.

II. CONSOLATIO autem esse debet miseris & abiectis, quod vident Deum, non in morte tantum, sed & in aliis miseris pares ipsis fecisse Reges. *Nat er an einem Orth einen Vortheil / so hat er zehen Plagen darzegen zu rier.* Ergo magnus quæstus pietas cû animo contento, 1. Tim. 6. v. 6. In cælo omnes erimus Reges Quia reposita corona a. Tim. 4. v. 8. Iac. 1. v. 12.

F I N I S.

THEMA CXXIII.

Syr. 4. 1. v. 11.

*Omnia quæ de terra sunt, in terram reuertuntur. sicut omnes aquæ in mare, &c.*

DISPOSITIO.

Quod Adamo à Deo omnipotente dictum erat olim Gen. 3. v. 19 in terram reuerteris, quia de terra factus es: Id ipsum hoc loco Sapiens omnibus Adami posteris, hoc est, omnibus hominibus denunciat, quod sint reducti ad principium. Idque eleganti similitudine illustrat de omnibus aquis, quæ in mare tanquam ad principium quoque suum reuertuntur. Nos hæc ad nostram utilitatem dicta & scripta esse certo statuamus: ideoque primum

com-

comparationis istius rationem examinabimus, & ad in-  
stitutum accommodabimus similitudinem istam: & de-  
inde vsum huius loci ostendemus.

## I. PARS.

Eadem ratione mate, quod suum est, repetere, qua  
terra etiam, quod suum est, recipiat, breuiter hic in-  
stuat Sapiens. Est autem hæc comparatio paulo altius re-  
petenda.

1. Sciendum autem, omnia flumina habere suam ori-  
ginem ex mari: & per occultos meatus atque venas terræ  
quasi destillari.

Sic omnes homines sunt de terra facti. Ex qua materia  
enim primus homo creatus est, ex eadem materia sunt om-  
nes, qui ab ipso descendunt: terreni scilicet, & de terra.  
Licet enim non eadem ratione formentur, tamen materia  
eadem est, ratione substantiæ.

2. Sicut omnia flumina ex mari exeunt, ita quoque  
omnia flumina in mare intrant, Eccles. 1. v. 7. [Dicitur  
Danubius in se recipere 60. flumina nauigabilia, & sep-  
tem ostiis in mare Ponticum effluere.]

Ita omnes homines qui de terra nati sunt, in terram re-  
uertuntur: sicut Creator hoc constituit, Gen. 3. v. 19.

3. Quemadmodum alii fluuii citius in mare effun-  
duntur: prout mari sunt propinquiores illorum fluui-  
orum exitus: alii vero tardius, & post longissima interval-  
la cum aliis in mare reuertuntur: ita alij citius, alij post  
longam demum senectutem, in terram reuertuntur.

Et tamen ad eundem locum tandem omnes deueniunt.

4. Sicut aquæ per suos alueos, sic etiam interdum per  
meatus terræ, perpetuis agitationibus & impetu magno  
feruntur, nec cessant prius, quam redeant ad principium:  
Ita vita hominis sicut aqua in terram delabatur, & nul-  
la vi hominum detineri potest: vt habet locus ille 2. Sa-  
muel. 14. v. 14. Sicut enim aquam præterfluentem ma-  
gno.

gno impetu, nemo potest detinere: ita nec hominem moriturum.

§. Sicut perpetua reciprocatione aquæ ex mari recur- rant (hinc fit, quod mare non redundat, nec fit maius. Ecc. 1. v. 7.) ita suo tempore ex terra etiã redibunt omnes, quos ipsa susceperit: vbi etiã mare suos mortuos est red- duntam, Apoc. 20. v. 13.

### I. Regula.

#### V s v s præcedentium.

I. Siue de terra, siue de mari cogitemus, de principio nostro cogitandum. Sicut omnis aquæ principium est mare. Ita omnium hominũ origo est terra, & limus ter- ræ. Ideoq; dicitur *mater omnium*, syr 40. Quia sicut ex matre nascitur homo, ita nos de terra facti sumus. Et sic- ut mater in sinu suo fouet infantem: sic nos non tantum terra aliquantisper fert, alitque: sed vbi nos recipit, post mortem denuo in lucem editura est.

Hoc Ethnicos quoque consideraſſe ex sequenti histo- ria Romana constat. Tarquinius Superbus, Rex Roma- nus, futurorum sollicitus, filios duos ad Delphicum mi- sist oraculum: vt Pythiam consulere, quis natorum post Tarquinium patrem esset Romæ regnaturus. His duob. filiis proficiscentibus comes additus est Iunius Brutus, qui amentia & stupiditate simulata, sibi salutem & patriæ libertatem peperit.

Is fratre suo maiore interfecto à Tarquinio, dome- stico malo territus, longe diuersum ab eo, quod erat, si- bi sinit ingenium. Et cum duobus filiis Regis profe- ctus Delphos, ad Apollinem Pythium (cui filii Regis, sacra facere & munera offerre debebant) eidem clam- muns offert, aurum scilicet in baculo capato, & ne su- spectus esse posset, simulat se tantum obtulisse baculum. Iuuenibus ergo Regis consulentibus iussu patris ora- culum, quis post patrem Romæ regnaturus esset. Vox ex intimo specu reddita est, eum qui primus osculum matri

matridaret, Romæ Imperium habiturum. Hoc cum non intelligerent duo Regis filii, & sic inter se paciferentur, ut utriusque domum venissent, pius mater occurreret, is eam oscularetur. Brutus rectius rem intelligens, velut aliquid pede offenderet, & perinde atque casu prolapsus, de industria se abiecit, *terramque osculatus est*, eamque communem omnium matrem existimans. Quod tam vafre telluri impressum osculum, Bruto primum in factis locum tribuit, simulque ipsi salutem & patriæ libertatem attulit. Agnouit autem iuuenis ille minime stupidus Iunius Brutus, Terram matrem esse.

Nos potius decet hoc considerare: quia ipsa scriptura id ipsum toties inculcat, hominem cineri & pulueri comparans. Gen. 18 v. 27. Syr. 10. v. 9. & toties monens: Pulvis es, terra es. In terram reuertetur pulvis, Gen. 3. v. 19. Eccl. 12. v. 7. & Psal 103. v. 14. & 104. v. 29.

Multi tamen hoc nolunt fateri. Quinam illi?

1. Superbi & arrogantes, qui non agnoscunt quod sint lutei, sed putant se esse aureos, &c, sicut Nebucadnezar, caput aureum, Dan. 2. v. 32. & 37.

2. Hi non cogitant se esse fragiles & vasa testacea, fictilia, &c. sed adamantini & ferrei esse volunt. Non cogitant se mortales, alioquin multa non tentarent. Scriptura autem nobis vasa fictilia inculcat, Jer. 18. v. 6. 2. Corinth. 4. vers. 7.

Nemo ergo maiora viribus audeat: sed cogitet, se esse luteum & habitare domum luteam, Job. 4. v. 19. & tabernaculum mox ruiturum, 2. Corin. 5. Vers. 1. Vide quid Hiob de se dicat, Hiob. 6. v. 12. Manet enim illud perpetuo: Natus homo, nutritur humo, per humumque mouetur: Inque reuersus humum, carne resurget humo. Veteres cantarunt. Erden bistu. Erden trübstu, Erden trügstu. Zur Erden u. irstu. Ergo: quis sis, quis fueris, qui eris, semper mediteris, Wann der Haass an Boden g. däch / so lieff er nimmer vber.

II. Non male agitur cum non moriturus, nec in decemus  
muta-

mutatur illorum substantia. Quia ad principium redeunt. Ergo non graue sit mori. Quin imo hoc potius soletur moriturum, quod scit in melius se immutandum, & per terram sic purgandum, ut resurgat immortalis, in gloria. & c. 1. Cor. 15. v. 42. Phil. 3. v. 21.

III. Non itaque pereunt, qui in terram conuertuntur. Imo id ipsum est resurrectionis indicium, quod in terram seminamur. Soletur nos igitur resurrectio: quam probat nobis sic Paulus, 1. Cor. 15. v. 36. quod ex terra semen sic prouenturum. Nihil enim perit quod seminatur in terra. Terra optima mater, omnia cum foecre reddit. De ceteris alias.

F I N I S.  
T H E M A CXXIV.

Syrach. 41.

*O mors quam amara est recordatio tui homini pacem habenti, &c.*

D I S P O S I T I O.

Mors vulgo dicitur. *Amara* mors, Neque id sine causa, cum scriptura quoque simile aliquid hoc loco habeat. Et plus etiam dicat: Videlicet, ipsam nudam mortis recordationem (non mortem tantum) amarum esse. At si hunc locum Syracidis cum eo, qui immediate sequitur, conferamus, & sententiam huius loci accuratius pensitemus, patebit, amarum quidem esse aliquibus hominibus, non tamen omnibus, mortem.

Quatuor autem hominum genera in specie recenset Sapiens, quibus mortis recordatio (de ipsa enim mortis amaritudine, qualis per se est, nihil hic dicemus) amarum sit.

De singulis 1. ordine dicemus, 2. & quomodo illis etiam, atque adeo omnibus, amaritudo recordationis huius vincenda sit, singulis subiiciemus. 3. Et quid praeterea nobis omnibus norandum, paucis addemus.

I. Pars.